REVERENDISSIMO ET NOBILISSIMO D. DOMINO HIERONYMO DE OSSOLIN OSSOLINSKY, ABBATI COPRIVVNICENSI, ET S.R. MAIESTATIS SECRETARIO DIGNISSIMO &c. &c. D. DOMINO VNICE COLENDISSIMO.

ALBERTVS GOLEMOWSKY integerrimam salutem optat.

CVM apud te me sisto (Reuerendiss. Abbas) meam ἀσύμφωνον audaciam publicè prodo. Nuperrimè cognitus, me insero tuæ humanitatis choro: nec habeo rationem tuæ dignitatis, nec meæ inconsideratæ temeritatis. Nam quod debebat in tempus reseruari & maturescere ad concinniorem doctrinæ symphoniam, vltrò meæ balbutiei & raucedinis conscius, tuis teretibus & eruditis auribus accinere audeo, absque vllo concentu, & modulis vocum inter se suauiter temperatis; occentare, inquam, rhythmum Medicinæ, si quis alius, difficillimum, putà de pulsuum necessitate quæstionem. Meritò sanè & obiurgatorio affatu hancce inconsultam cantilenam increpabis. Quid? ipse modulorum & legum metricarum ignarus, depositâ omni fronte in diuini Apollinis consessu raucam & ingratam vocem ventilare audes? arteriarum ex ipso vitæ fonte scaturientium modulos, ratas & completas periodos, διάτονον ipsam & σύντονον indicare putas? rem arduã, & si quam habet ἰατρικὴ, confusissimam partem, tuis rebus non consulis? nec apud te ponderatis viribus meditatè consideras, an tanto oneri, tantæ moli par sis & secundus? Sed Andabatarum in vicem, vt tibi venit in mentem, voce tam absonâ & absurdâ in hoc musico certamine digladiari & fortiter resistere, quasi extincto lumine cæspitando periclitaris? Age iterum, nec incurre hanc tui nominis iacturam, quæ etiam, quando voles, resarciri non poterit, semel facta in oculis, in luce adeo præclaræ & honorandæ ciuitatis Lutetiæ. Verum ita est, Reuerendiss. Abbas, & si qua foret, verissima haberi posset exprobratio tua. Sanctè & conceptis verbis iurare possum me non tàm honoris habendi, quàm profectus faciendi studio, talem Musici quamuis infimi suscepisse personam, in hac scientiarum & bonarum artium coronâ. Nam quot sunt medici huiusce Scholæ, tot mihi videntur stellæ hanc diuinam harmoniam componentes, vbique & per omnes mundi angulos scintillare. Debuerunt autem, vt in illâ musicâ, esse iuniores, qui suis teneris & acutis vocibus grauiores & altiores temperarent. Varietas vocum miscellanea eam parit iucunditatem quam auribus & persæpe cum titillatione & pruritu omnium sensuum percipimus. Vnus ex iis dici possum qui submissiùs canant & frigidiùs, nondum adepti iustam miscendarum vocum temperaturam. Deinde vt verè loquar, non omnia possumus omnes: & Oppianus grauis auctor grauissimè cecinit:

Τίς δ' ἂν πάντ' εἰδοίη, τίς δ' αὐτόσον ἀμπήσαιτο
Θνητὸς ἐών, μοῦνοι δὲ θεοὶ ῥέα πάντ' ὁρέωσιν.

Sed mea vt video nimiùm excurrit cantio: vereor, ne dum durior est, tuas delicatissimas aures veterum literarum iustas heredes exasperet. Ignosces quæso, & aliquid condonabis rudimento, quod, vt spero, modulatius euadet. Faxit Deus cum suo honore & gloria immortali. Vale. Lutetiæ Paris. Anno salutis M. DCV.

AD QVODLIBETARIAM, QVÆSTIO MEDICA

Matutinis excutienda disputationibus, die Iouis XIII. Ianuarij in scholis Medicorum Paris. M. Dionysio Guerin Doctore medico Præside.

Estne pulsuum cognitio necessaria medico?

FVNCTIONES, vt sunt in corpore, διαθέσεως cognitionem & partis ægrotantis discrimen, medico naturæ ministro manifestant. Probæ, sanam: læsæ, morbosam oculis exponunt. Harum morbi, illarum facultates suis instructæ organis, vt membris, temperamentis, spiritibus, sunt effectrices causæ. Partium organicæ opponuntur informibus: dissimilares similaribus, quas organi mereri nomen non malè dixeris. Communes vel primariæ, his: perfectæ vel instrumentariæ, illis debentur functiones. Temperies facultatum sedes & omnium functionum principium, à primo ortu ex coalitâ genitalium corporum miscellâ & concentu singulis ingeneratur partibus: quarum interiectu, homo mundi miraculum, & cęlestis auræ particula, temperamentum ad iustitiam suis functionibus aptissimum sortitur: cuius medium qui tenent, omni ex parte temperatissimi iudicantur: quales sunt adolescentes flore sanguinis & vigore præcellentes. Spiritus animali & vitali facultatibus maximè, naturali minimè necessarium instrumentum, quod defectu semper, copiâ numquam nostris officit facultatibus.

NATVRALES facultates tres habentur principes. Altrix in iecore venarum seminario: cuius functio nutritio est: materia proxima massa sanguinis: remota verò alimentum, quod hyeme & vere liberalius offerendum est. Cæna quoque indulgentior sit prandio, coctu tamen facilia locum habeant in primis: difficiliora succedant. Cibus incipiat, potus terminet. Auctrix vt solidis partibus primò inest: ita hæ per se, cęterę per has augentur. Viuentium illa vernacula est & peculiaris, quę iuxta quamlibet partem, cum formæ tum materiæ ratione incrementũ capiunt. Porrò licet auctio sit motus diligens nutritionis comes; cessat tamen & desistit, nutritione, suáque facultate illęsâ & superstite. Procreatricis munus est generare sibi simile: cuius testes vim in se σπερματοποιητικὴν habentes sunt instrumentum. Quo orbati, animo & corpore deuigescunt cum lucis detrimento: arrigunt quidem, sed rem, vbi viribus & alacritate opus est, agunt impotenter, id est sine testibus: vitęq; residuũ cum mœrore & tristitiâ traducũt.

VITALIS facultas ab omnibus alijs seiuncta, in corde ἀρχῇ ἐν ῥιζώματι θερμοῦ καὶ τοῦ ζῆν domicilium habet. In cuius sinistro sinu spiritum vitalem, ex aëre inspirato, & tenuissimâ sanguinis portione delatâ conficit: quo per arterias vnà cum calore in vniuersum corpus diffuso, omnium partium facultates vegetat & fouet, insitum calorem refocillat, & ad munus suum acuit. σφυγμικῆς eius ancillę functio est pulsus, prosperæ & aduersæ valetudinis index certissimus, Coo seni non ignotus; quem illa cordi insidens, & ab eo in arterias per ipsarum tunicas influens, vtraque mouens simul & semel motu eodem, vno διαστολῆς, altero συστολῆς, facit. Qui sanè motus cùm sint contrarij, necessarióque geminam intermediam quietem habeant, fit vt pulsus non sit vnum nisi per aggregationem. His iuncta est ἀνδρεία ψυχή, cuius interdum tanta vis est & rebellio, vt multos è medio repente sustulerit, ad eam referuntur animi παθήματα pulsum ipsum, si quid aliud, euidenter immutantia.

AMPLIVS, cor ipsum princeps & ἀεικίνητον, licet vltimum sit moriens, non tamen primum viuens: grauiorum omnium affectuum impatiens: cuius ex obstructione & oppressione semper, ex intemperie numquam subita mors sequitur: thesaurus vitæ, quam optima humidi & calidi mistura reddit longiorem, & rerum non naturalium conueniens vsus. Ars quoque eam diutiùs producere potest, non tamen in multa secula prorogare. Mares fœminis, & prisci quàm nos μακροβιώτεροι. Nectar illud ingenitum oleo cuidam simile, cui aduentitium nequaquam bonitate potest respondere, vitæ pabulum est & salus. Absumitur & tabescit ab externis causis, sicut ab ipso calore natiuo; ita vt gestiant sese mutuò depopulari, eóque siccior euadit natura, quò propior accedit ad ætatis occasum. Mors omnes etiam inuitos lege naturæ manet.

CALIDISSIMVM est omnium partium cor, duobus præditum ventriculis; quorum sinister, puris empyïcorum nonumquam excludendi via, vt calidior, sic præstantior altero: vasis pręterea quatuor, venis duabus, totidem arterijs. Alimentum eius venosus est sanguis: substantia est παρέγχυμα, vel quædam ipsi soli peculiaris caro, dura, omnisq; generis villis intertexta. Pulsuum verò inde fluentium variæ & multiplices existunt differentiæ: ex quibus non tantum de cordis & arteriarum habitu, de humorum dominio: verùm omnium penè morborum certa & indubitata sumuntur indicia. Celer in sanis calidum temperamentum: in ægris, caloris æstuantis copiam: in vtrísque robur ipsum significat. Vehemens, facultatis robur: languidus, vires effœtas & iacentes indicat. Frequens calorem putribus excrementis redundare, δορκαδίζων siue caprizans cordis inæqualem intemperiem. Amantium inæqualis & ἀνώμαλος, qualis illius mulieris amore Pyladis histrionis correptæ: vino incalescentium κλονώδης & fortis. Quin & hominum arcana pulsuum ope recluduntur.

Ergo pulsuum cognitio necessaria medico.

Defendebat ALBERTVS GOLEMOWSKY Polonus diœcesis Posnaniensis, anno salutis 1605.



DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Germanus Clerselier.	*M. Hieronymus Taquet.*	*M. Philippus Hardouyn de S. Jacques.*
M. Robertus le Secq.	*M. Simon Bazin.*	*M. Claudius Fauuelet.*
M. Ricardus Marcetz.	*M. Nicolaus Pietre.*	*M. Nicolaus Marchant.*